possit. cum quo uerberabis claream; Nam non nullis
autem uerberatur clarea aut cocleario. aut li-
gnulo pariter non sufficienter uerberato: non intel-
ligentes quod nisi bene uerberata sit ipsa clarea:
nullo modo bene temperari potest color inde. & ignor-
ant numquam de talibus instrumentis uerberatur; Cum
uero paraueris claream a uitello separando. albumen oui. &
posito albumine in scutella fortiter sine cessatione uerberabis
ipsum albumen oui supradicto lignulo. donec uertatur quasi in
spumam aque. uel in similitudinem niuis. & adhereat in scutella.
& inuersa perdat currendi uel deflectendi in parte aliqua. etiam si uersat
in partem inferiorem in superiorem. scilicet fundum scutelle superius
& inferius claream. tamen hoc sciendum est si percusseris septies aut decies
uerberando seu cedendo ipsam claream postquam adheret scutelle.
ut supra denotatur. meliorabitur. Multos uero decipit ipsa mala
uerberatio claree. & fit dum minus ceditur conglutinans. & infusa in colorem.
facit ipsum colorem filare in modum fili. & perditur omnino color ille.
nec etiam potest describere cum ea penna. sine difficultate
magna. & in pargameno positus redditur turpissimus. Cum enim ce-
ditur clarea. pone scutellam in quieto loco & mundo. ut decurrere
possit. pariter inclinata de spuma clarea liquor;
Si uero calor fuerit estiuus frigido pone in loco
ne siccetur. Si uero rigor brumalis. reconde in tepido
ne geletur: Decurso autem liquore claree & mundata